



Vviggo magnæ fortitudinis adolescens, in re-
gia Roluonis ob uirtutes anno mundi 3230 in
magno pretio extitit. Itaq; rex eum ingenti armille
dono prosecutus est. Ea armilla Vuigo dexterā ex-
cultam extollēs, læuam pudoris causa post tergum
reflexit. Rogatus cur id faceret, respondit, in opem
manū, nulloq; cultus beneficio gloriantem ad aspe-
ctū reliquæ uerecundo paupertatis rubore perfun-
di. Itaq; Roluo alterā eius manum simili ornamēto
decorari iussit. Nec Vuiggoni rependendi benefi-
cij cura defuit: siquidē arctissima uoti nuncupatio-
ne pollicitus est, si Roluonem ferro perire cōtinge-
ret, se sibi suis manibus ultionem ab eius interfectori-

bus exacturum. Olim enim ingressuri curiam proceres, famulatus sui princi-
pia alicuius magnæ rei uoto principibus se obligabāt, uirtute tiro cinium au-
spicantes. Cum itaq; postea Roluo cum suo agmine dolo à Hiarthuaro truci-
datus esset, atq; ex fortissimis athletis solus. Vuiggo superesset, Hiarthuerus
Vuiggonem rogauit, an posthac sibi militare uellet, eiq; magnum munus ob-
tulit. Annuenti destrictum, pro more, gladium exhibit. Ille cuspidem refutās
capulū petit, hunc morē Roluoni in porrīgedo militib; ense extitisse præfa-
tus. Olim enim se regū clientelæ daturi tacto gladij capulo obsequiū pollice-
ri solebant. Eo pacto Vuiggo capulum complexus, cuspidem per ouantem
Hiarthuerum transegit, ultionis compos, cufus Roluonis ministerium polli-
citus fuerat. Verū ipse postea militum concursu quoq; imperfectus est. Clar-
rum & memorabile exemplum, quod Vuiggo fortiter uoto expleto, morte
sponte complexus fuerit, et sua uirtute mensas sanguine tyranni consperserit.
Sic eadem dies Hiarthueri regnum peperit & finiuit. Sax. Gram. lib. 2.